



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus III. vtrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit
assumere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Caetan.

vicem alterius. Quam sententiam impugnatur Caetan. hic art. 1. sed cum ipse cum Scotus sentiat relationem ut sic, nullam dicere perfectionem, vix potest vitare, quin vel relatio habeat vim terminandi formaliter a perfectione absoluta, quam habet ratione essentiae, quod videtur incidere in opinionem Durandi, vel certe quin relatio terminet, prout nullam perfectionem dicit, quod Scotus intendit.

Responsio.

Respondetur ergo negando maiorem, nam ut supra dixi, relatio diuina ex proprio conceptu includit substantiam relatiuam, quae ex proprio conceptu dicit infinitam perfectionem, etiam relatiuam, ut docet etiam Gabr. in 3. dist. 1. quaest. 1. art. 3. dubio secundo. Mirum est enim, quod personalitas creata dicat aliquam perfectionem, & tamen quod personalitas diuina, in quantum personalitas est, nullam dicat. Non igitur ita est, sed dicit infinitam, ratione cuius habet vim, ut possit supplere vicem substantiae creatae, & hoc modo potest dici continere illam eminenter, quia continet quiddam perfectionis est in illa, & in ratione termini potest vicem eius supplere, quamuis in ratione principij actiui, non contineat illam, nisi ratione essentiae, quod nihil eferat ad rationem terminandi, de qua agimus.

Obiect.

3. Tertia difficultas est, quia non videtur, quomodo humanitas Christi possit terminari per relationem, quin Christus ut homo referatur ad patrem per illam relationem. Et confirmatur, nam sequitur Christum esse analogice personam cum alijs hominibus.

Responsio.

Respondetur, Christum ut substantiam in humanitate esse personam relatiuam, formaliter loquendo de ratione personae, quamquam ut est indiuiduum quoddam humanae naturae, sit aliquid absolutum: & ideo ex hac vnione non sequitur humanitatem, vel hunc hominem referri ad Patrem, sed solum id sequitur de hac persona, sicut quamuis relatio terminet deitatem, non tamen refert deitatem ipsam, nec hunc Deum, ut sic ad Patrem, sed personam illam, ut secundum fetalitatem est. Denique illa relatio non vnitur per modum formae informantis, sed solum per modum termini quasi sustentantis naturam, & ideo non oportet, ut referat ipsam naturam ad aliud. Ad confirmationem respondetur Christum esse vniuocum hominem nobiscum, quia in ratione hominis humanitate constituitur, ut iterum dicitur quaestio. 17. at vero in ratione personae reperitur inter eius personam, & personas creatas analogia, cum quia eius persona relatiua est, aliae sunt absolutae: tum maxime quia eius persona est infinita, & increata, aliae vero sunt creatae & finitae.

ARTICVLVS III.

Utrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere.

21.
3. dist. 5. q. 2.
artic. 3.
Art. brace.
dent.



De tertium sic proceditur. Videtur quod abstracta personalitate per intellectum, natura non possit assumere. Dicitur enim, quod natura conuenit assumere ratione persone: sed quod conuenit alicui ratione alicuius, remoto eo non potest ei conuenire: sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest. Ergo abstracta personalitate per intellectum, natura assumere non potest.

Art. 1. huius
quaest.

2. Præterea, assumptio importat terminum vnionis, ut dicitur est *: Sed vnio non potest fieri in natura, sed solum in persona. Ergo abstracta personalitate, natura diuina non potest assumere.

7 p. q. 40.
art. 3.

3. Præterea, in prima parte dictum est *, quod in diuina abstracta personalitate nihil manet: Sed assumens est aliquid. Ergo abstracta personalitate, non potest diuina natura assumere.

Sed contra est, quod in diuinis personalitas dicitur pro-

prietas personalis quae triplex est, scilicet paternitas, filiatio, & processio: ut in prima parte dictum est *: Sed 1. p. q. 10. remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia per quam est facta incarnatio: sicut Angelus dixit Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Ergo videtur quod remota personalitate, natura diuina possit assumere.

b. Respondeo dicendum, quod intellectus dupliciter se habet ad diuinam. Vno modo ut cognoscat Deum sicut est: & sic impossibile est, quod circumscriptur per intellectum aliquid a Deo, & quod aliud remaneat: quia totum, quod est in Deo, est vnum, salua distinctione personarum. Quorum tamen vna tollitur sublata alia, quia distinguuntur solis relationibus, quas oportet esse similes. Alio modo se habet intellectus ad diuinam non quidem quasi cognoscens Deum ut est, sed per modum suum, scilicet multipliciter & diuinitatem, id quod in Deo est vnum. Et per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem & sapientiam diuinam, & alia huiusmodi, quae dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quae dicuntur personalitates. Et secundum hoc, abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem.

c. Ad primum ergo dicendum, quod quia in diuinis idem est quo est, & quod est, quicquid eorum, quae attribuantur Deo in abstracto, secundum se consideretur, alijs circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona: cum sit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc positis proprietatibus personalibus in Deo dicimus tres personas: ita exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra, natura diuina, ut subsistens, & ut persona. Et per hunc modum potest intelligi, quod assumat naturam humanam ratione sua subsistentia vel personalitatis.

d. Ad secundum dicendum, quod etiam circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum, remanebit in intellectu vna personalitas Dei, ut Iudei intelligunt, ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi.

d. Ad tertium dicendum, quod abstracta personalitate per intellectum, dicitur nihil remanere per modum resolutionis: quasi aliud sit quod subijciatur relationi, & aliud ipsa relatio: quia quicquid consideratur in Deo, consideratur ut suppositum subsistens. Potest tamen aliquid eorum, quae dicuntur in corpore de Deo, intelligi sine alio, non per modum resolutionis, sed per articuli, modum iam dictum.

COMMENTARIVS.

Duplex potest esse sensus huius quaestiones, prior est conditionatus ex hypothesi impossibili, per quam abstrahuntur relationes, non tantum ab actu incarnationis, sed etiam ab ipsa diuinitate, ut Caetan. dicit: ut quaestio sit, an si in re ipsa intelligatur diuina natura esse sine relationibus, possit assumere. Et hoc modo licet abstractio hæc fiat per intellectum, tamen ex hypothesi ponitur in re ipsa ad modum abstractionis negantis vnum ab alio, & non tantum præcipientis.

Secundus sensus esse potest absolutus, abstrahendo relationes ab actu incarnationis, & non a diuinitate, ut sensus sit: an nunc existente natura diuina coniuncta relationibus, possit nihilominus assumere per ea, quae præcise illi conueniunt, ut a relationibus abstrahitur. Et quidem si titulum articuli nude consideremus, potius videtur indicare posteriorem sensum, in quo natura abstrahitur ab omni personalitate: cui fauet verbum illud. An natura possit assumere, quod indicat sensum absolutum, nam in quaestione conditionata potius esset dicendum, an posset assumere posita hypothesi. Et tam argumentum. Sed contra, quam corpus articuli optime quadrat cum

Titulus
articuli

eum in hoc sensu, in solutionibus autem argumentorum, satis explicuit D. Tho. se loqui in priori sensu, ut videbimus.

Et ideo ambiguum manet, quem sensum D. Tho. intenderit in toto articulo. Et potest quidem facile sustineri; D. Thomam esse locutum in sensu hypothetico & conditionali, scilicet, si Deus esset absq; personalitate relatiua, an posset assumere, quia in hoc tantum sensu D. Tho. videtur suę assertionis rationem reddere & argumenta in contrarium soluere. Nihilominus, altior videtur sensus, si dicamus, D. Thom. absolute & simpliciter quæstionem proposuisse sub his verbis, quæ utrumque sensum comprehendere, & ita etiam respondisse ut utriusque satisfaceret: atq; ita utrumque sensum intendisse. Primum patet sufficienter ex verbis tituli, quæ communia sunt utriq; sensui ut per se patet: & ponderandum est illud verbum, *natura abstracta per intellectum*, nam abstractio ut sic dicit præcisionem vel negationem vnius, & non dicit alicuius rei additionem. Vnde, cum quaeritur, an natura abstracta personalitate, posset assumere, non est sensus, an, ablata personalitate relatiua, & addita alia absoluta posset assumere; quia illa non esset abstractio tantum, sed esset abstractio vnius, & additio alterius. Proprius ergo sensus est, an abstracta seu præcisa personalitate relatiua, natura diuina ex his tantum quæ essentialiter & per se includit, sit sufficiens ad assumendam aliam naturam, seu ex se habeat unde possit alteram naturam terminare. Sicut, cum quaerimus, an abstracta quantitate substantia materiali, sint partes in ipsa substantia, sensus proprius est, an talis substantia per se habeat partes præcise quantitate, & absq; additione alterius rei: & similiter, cum quaerimus, an in diuinis Filius, abstracta spiratione actiua, distinguatur ab Spiritu sancto, sensus est, an ex se habeat unde distinguatur, præcise spiratione actiua, & nulla alia addita; unde in his quæstionibus, non solum includitur sensus hypotheticus & conditionalis, scilicet, an, si in re substantia maneret, sine quantitate haberet partes, vel, si Filius non spiraret Spiritum sanctum, an distingueretur ab illo, sed etiam includitur sensus absolutus scilicet, an nunc de facto substantia sub quantitate existens habeat ex se partes, & non à quantitate; & an Filius, licet de facto spiraret Spiritum sanctum, non per spirationem actiuam, sed per suam filiationem ab illo distinguatur. Sic ergo in præsentem titulum huius articuli ex vi illorum verborum utrumque sensum comprehendit. Neq; est verisimile D. Tho. difficultatē omisisse, & illam, in quo nulla fere erat difficultas, attigisse. Præsertim, cum propriè & quasi ex intrinsicis principiis, sensus hypotheticus, ex absoluto diffiniendus sit. Quod enim diuinitas, si in re ipsa ab ea separarentur relationes, posset assumere, non est iudicandum ex eo, quod in eo casu adderetur diuinitati, quia illa, ut dixi, iam non esset abstractio, sed transmutatio, sed iudicandum est ex eo, quod diuinitas nunc ex se habeat; & ita plane procedit D. Thom. in corp. artic. & in solut. argumentorum, ut statim explicabitur.

b Respondet D. Tho. affirmans posse naturam assumere abstractis personalitatibus, quod explicat, dicens abstractionem hanc non habere locum in cognitione, qua videtur Deus prout in se est, sed solum in nobis, qui cognoscimus Deum ad modum nostrum, scilicet multipliciter & diuim apprehendentes id, quod in Deo vnum est; & hoc modo, inquit, abstrahendo naturam à relationibus, adhuc intelligimus illam ut aptam & potentem ad assumendum. In hoc autem discursu explicat quidem D. Thomas, & affirmat conclusionem suam, nullam tamen probationem subiungere videtur, ut apparebit corticem literæ legenti, solum enim concludit. Et secundum hoc, abstracta personalitate per intellectum, possumus intelligere naturam assumentem. Existimo ra-

A men probationem & rationem, conclusionis (quam nunquam solet D. Thomas omittre) positam esse in illis verbis. Et per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem & sapientiam diuinam, & alia huiusmodi, quæ dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate & filiatione, quæ dicuntur personalitates. In quibus verbis primum considero condistinguere Diuim Thomam essentialia attributa à relationibus, quia hæc reuera non sunt essentialia diuinitati aut Deo ut sic, ut alibi latius ostensum est, & ea ratione, inquit, essentialia posse abstrahi, & præscindi à personalibus, quia sunt propria illis secundum rationem seu essentialem inclusionem. Deinde considero, cum ex hoc immediate infert D. Tho. naturam sic abstractam cum solis essentialibus posse intelligi assumentem, virtualiter subsumpsisse seu subintellexisse in essentialibus attributis includi subsistentiam ratione cuius diuina natura sic abstracta potest intelligi assumens: & hoc magis explicuit D. Tho. in solutione ad 1. dicens, naturam sic abstractam intelligi posse assumentem quia in diuinis idem est, quo est & quod est: ac si diceret, ad essentialia attributa diuinitatis pertinere, ut non sit tantum id quo est, sed etiam quod est, in quo subsistentia includitur: & hoc magis circa illam solutionem explicabimus.

Nunc circa corpus articuli videtur animaduersione dignum, distinctionem illam D. Tho. de cognoscendis Deum prout in se est, aut solum imperfecto modo, esse quidem veram quoad hoc, quod in illa visione clara non potest videri aliquid in Deo, quin omnia videantur, quæ in illo formaliter sunt, in cognitione autem abstractiua potest vni ab alio secundum rationem separari. Quod verò ad præsentem quæstionem attinet, non videtur multum referre hæc differentia, nam qui videt Deum, & Deus ipse se comprehendens, cognoscit veritatem illius conditionalis: si natura diuina existeret sine relationibus posset assumere, vel illius propositionis, natura diuina per subsistentiam absolutam potest terminare aliam naturam, unde etiam in vidente Deum, potest esse sufficiens abstractio ad præsentem quæstionem necessaria, quia hæc non requirit cognitionem vnius sine alio, sed cognitionem propriam huius vniouis, & eius termini formalis. Et licet non videat naturam sine personis, videt tamē quid sit proprium naturæ, quid personæ, sicut etiā videt nunc, Verbum terminare naturam per relatiuum, non per absolutum & eodem modo potest videre, an natura possit terminare per absolutum non terminando per relationem. Hoc ergo modo potest dici esse in vidente Deum sufficiens abstractio, ad utrumque sensum quæstionis, quia illa etiam non consistit in cognitione vnius sine alio, sed in distincta cognitione absoluti, & relatiui. Nihilominus tamen existimo, D. Thomam non sine causa hanc distinctionem hoc loco præmisisse, ut in solutione ad tertium explicabo.

c Primum argumentum D. Tho. est, naturæ conuenit assumere ratione personæ, ergo abstracta persona non posset assumere naturam. Respondet negando consequentiam, quia si abstraheretur à natura diuina relationes, iam id, quod maneret in Deo, esset persona, quia esset subsistens. Vnde etiam potest applicari solutio distinguendo antecedens, nunc enim conuenit naturæ assumere ratione personæ relatiuæ, si autem abstraheretur relationes, maneret persona absoluta, & ita ratione illius fieri posset assumptio.

In qua solutione considerandum est, id quod D. Tho. ait, quod Deo in abstracto tribuitur, si secundum se consideretur, aliquid esse subsistens, applicatum ad præsentem quæstionem dupliciter intelligi posse: vno modo, quod si natura diuina intelligeretur existere sine relationibus, consequenter intelligeretur habere aliquam subsistentiam, quam nunc non

habet, per quam esset subsistens, & per consequens persona: sicut dicere solemus de humanitate Christi, si separaretur à Verbo, fore subsistentem, non quidem per subsistentiam quam nunc habet, sed quia propria statim reciperet, nō enim potest separata, omni subsistētia carere. Et hic sensus sufficit sine dubio ad soluendum argumentum: sed non videtur ad eodē consentaneus sensui, & verbis tituli articuli, ut explicatum est, nec etiam rationi, quam reddit D. Tho. scilicet quia in Deo idem est, quod est, & quo est.

Vnde est alius sensus, quod si natura diuina intelligeretur existere sine relationibus, intelligeretur manere subsistens ex se, & ex vi modi essendi, quem nūc habet, etiam si non intelligeremus illi addi subsistentiam, in quo superat humanitatem à Verbo separatam. Ratio est, quia si humanitas separaretur à Verbo fieret subsistens per naturalem consecutionem (quippe in rerum natura sine aliquo existendi modo consistere non potest) nō quia formaliter ex vi sui cōceptus subsistens sit: at verò natura diuina, non solum hac ratione maneret subsistens, sed quia ex se non tantum est quo est, sed etiam quod est: quæ ratio à D. Thom. reddita, in hoc sensu fauet multū supra tractatæ opinioni de essentiali subsistentia. Quod verò addidit naturam sic subsistentem fore personam, intelligendum est, secundum eam fictionem, quæ ponit illam in re ipsa abstracte subsistentem sine alijs personalitatibus, atque ad eodē incommunicabilem. Et ex his explicata manet solutio ad secundum, quæ eandem continet doctrinam.

d. Tertium argumentum est, abstracta personalitate nihil manet, ergo nihil esset quod posset assumere. Respondet breuiter, & obsecrē, antecedens esse verum de abstractione per modum resolutionis, non tamen de abstractione secundum modum iam dictum. In qua solutione explicanda multum laborat Caiet. inquirēdo quid sit abstractio per modum resolutionis. Sed ne immoremur in re non admodum necessaria, mihi breuiter videtur, abstractionem per modum resolutionis vocasse D. Tho. illam, quæ verè vnū ab alio separatur, vel distinguitur, & hanc dicit nō habere locum inter essentiam, & relationes diuinas, ut patet ex distinctione data in corpore articuli, quam ad hunc finem D. Tho. præmisit. Ex quo fit, ut simpliciter & absolute impossibile sit naturam diuinam, abstractam re ipsa à proprietatibus relatiuis, assumere posse, quia simpliciter impossibile est naturā sic esse abstractā, & esse eandem naturam, quæ nunc est, ut recte probat hoc tertium argumentum. Nihilominus tamen ex hypothesis posita per intellectum, quæ præscindit vnū ab alio, vel qui fingit vnū manere sine alio, etiam si in re non distinguatur, vera est illa propositio, quod si natura esset sic abstracta, posset assumere, & hoc modo est facilis argumenti solutio.

ARTICVLVS III.

Virum vna persona possit sine alia naturam creatam assumere.

22.
3. d. 1. q. 2.
art. 1.

Enchir. c.
35. à med.
tom. 83.

Lib. 3. orth.
fidei. c. 6.



Quartum sic proceditur. Videtur quod vna persona non possit assumere naturam creatam, alia non assumente. Indivisa enim sunt opera Trinitatis, ut dicit August.

* in Enchirid. sicut autem trium personarum est vna essentia, ita & vna operatio: Sed assumere est operatio quadam. Ergo non potest conuenire vni personæ diuinæ, quin conueniat alijs.

2. Præterea, sicut dicimus personam Filij incarnari, ita & naturam: tota enim diuina natura in vna suarum hypostasum incarnata est: ut dicit Damasc. in 3. lib. * Sed na-

A cura communis est tribus personis: ergo & assumptio.

3. Præterea, sicut humana natura in Christo assumpta est à Deo, ita etiam & homines per gratiam assumuntur ab ipso, secundum illud Rom. 14. Deus illum assumpsit: Sed hæc assumptio communiter pertinet ad omnes personas: ergo & prima.

Sed contra est quod Dionys. 2. c. de Diui. nom. * incarnatōis mysterium dicit pertinere ad discretam Theologiam: secundum quam scilicet aliquid distinctum dicitur de diuinis personis.

a. Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est *) assumptio duo importat, scilicet actum assumptis, & terminum huius quæst. assumptis. Actus autem assumptis procedit ex diuina virtute, quæ communis est tribus personis, sed terminus assumptis est persona, sicut dictum est *: Et ided id quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis: sed id quod pertinet ad rationem termini, conuenit ita vni personæ, quod non alijs. Tres enim persone fecerunt, ut humana natura vniueretur vni personæ Filij.

b. Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit ex parte operationis. Et sequeretur conclusio, si solam illam operationem importaret absque termino, qui est persona.

Ad secundum dicendum, quod natura dicitur incarnata, sicut & assumens, ratione personæ, ad quam terminata est vnio (sicut dictum est *) non autem prout est communis tribus personis. Dicitur autem tota natura diuina incarnata: non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ personæ incarnatæ.

Ad tertium dicendum, quod assumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandam participationem diuinæ naturæ secundum quandam assimilationem ad bonitatem illius: secundum illud 2. Pet. 1. Ut diuina consortes naturæ, &c. Et ided huiusmodi assumptio communis est tribus personis, & ex parte principij, & ex parte termini: Sed assumptio, quæ est per gratiam vnionis, est communis ex parte principij, non autem ex parte termini, ut dictum est.

COMMENTARIVS.

Hic articulus potest intelligi non solum de possibili ut sonat, sed etiam de facto, ut D. Thom. respondet incarnationem factam esse: optime etiam & à fortiori concludens esse possibile, quandoquidem factum est. Et ita hic articulus est sufficienter expostus ex supra tractatis.

b. In responsione ad primum, quoniam D. Tho. sit in verbo assumptionis importari nunc terminum vnionis, qui est persona, colligit Caietanus sentire D. Tho. posse dari aliquē terminum huius vnionis, qui non sit persona, quia nō sine causa addidit illam restrictionem, *Qui est persona*. Sed reuera D. Thom. hoc loco nihil illi sententiæ fauet, quia illud non est additum per modum restrictionis, sed ad explicandum, cur ex parte termini possit vnio esse propria, & non communis omnibus personis, videlicet, quia ille terminus est persona. Cætera clara sunt.

ARTICVLVS V.

Virum qualibet persona diuina potuerit humanam naturam assumere.



Quintum sic proceditur. Videtur quod nulla alia persona diuina potuerit humanam naturam assumere, præter personam Filij. Per huiusmodi enim assumptionem factum est, quod Deus sit filius hominis. Sed inconueniens esset, quod esse Filium hominis conueniret Patri vel Spiritui sancto: hoc enim vergeret in confusionem diu-